



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

478. An, & qualiter pensio resevetur, & residere dicatur in fructibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

designata sunt, gravari possunt & soleant, dicitur paulo post de cōstituta pensione in distributionib⁹.

Quaestio 471. An, & qualiter imponi possit pensio praebeatis theologalibus?

Respondet Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 51.* negativè, dicens, hanc esse indolem praebeatis theologalis, ut nullius pensionis onere gravari possit, ejusdemq; exemptionis privilegio potiri praebeatis praeceptorales: citat pro hoc Lovet. *lit. p. n. 46.* subjungit tamen n. 52. quòd nihilominus is, qui resignationi consentit, & qui hujusmodi beneficia sub onere pensionis sibi resignata acceptavit, quamvis reclamaret ad pensionis solutionem, condemnatus tamen sit ratione perfidiae & doli.

Quaestio 472. An imponi possit & soleat pensio super beneficiis commendatis?

Respondeo: Posse imponi Abbatibus aliisque beneficiis, quae hodie de more commendantur, hoc est, in perpetuum; cum illa idem juris habeant, quòd beneficia collata. Tamb. *de jure Abb. to. 1. d. 13. q. 7. n. 3.* Azor *p. 2. l. 8. c. 8. q. 8.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 19.* citantes Gamb. *de pot. Leg. tit. de pens. n. 154. & c.*

Quaestio 473. An ex causa resignationis imponi possit pensio super beneficio tertio, hoc est, non in beneficio resignato & collato Ioanni, sed in alio beneficio, quòd idem Ioannes jam ante habebat?

Respondeo affirmativè; sic Azor *l. c. q. 9.* ait, usum receptum, ut clerico dimittenti suum beneficium in favorem alterius, reservetur seu constitutur pensio in alio beneficio, quòd resignatarius habebat, nimirum si beneficium resignatum nequit onus pensionis sustinere ob rebus suos redditus; tunc enim imponi pensionem vel simpliciter in aliis resignatarii beneficiis, vel simul in beneficio ei resignato, & in alio ab eo jam antè habito.

Quaestio 474. An imponi possit pensio super fructibus Ecclesiae, seu beneficii necdum erecti?

Respondeo negativè: Corrad. *in pr. benef. l. 2. c. 7. n. 7.* cum enim tale beneficium non sit in rerum natura ante erectionem ejus in titulum, per consequens super eo imponi nequit pensio: & sicut Ecclesia non erecta in titulum non potest impetrari, ita etiam nequit ut beneficium gravari pensione; quia hoc esset dare accedens sine subjècto, quòd neque natura, neque jus admittit. Corrad. *l. c. n. 8. & 9.* ubi etiam, quòd proinde fuerit annullata pensio, etiam si pensionarius esset in quasi possessione exigendi.

Quaestio 475. Num super fundo unius beneficii imponi possit pensio pro dote alterius beneficii?

Respondet affirmativè. Lott. *l. 1. q. 3. n. 17.* citans Abb. *in c. conquerente. de cleric. non resid. n. 1.* Gig. *de de pens. q. 28. n. 20.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 42.* Ratio est, quia hoc onus reale & perpetuum est, non extinguibile cum persona, sed cum ipsa re transmissibile ad quemcumque possessorem seu successorem. Lott. *ibid. n. 18.* Neque etiam minus talis redditus annui assignati in dotem beneficii, si ex certo fundo debeantur, dicantur fructus fundales, seu redditus veluti cohaerentes fundo, cujus propterea naturam sortiuntur, quam dicatur dotalis fundus, seu dotale pradium, quòd in dotem datum est mulieri. Lott. *loc. cit. n. 15 & 16.*

Quaestio 476. An ex causa resignationis constitui quoque possit pensio super beneficio tertii, v. g. Titio resignanti in favorem Cajo, constitui pensio in beneficio Sempronii?

Respondet affirmativè Azor *loc. cit. q. 10.* dum nimirum beneficium resignatum adeo tenue est, ut pensionem ferre nequeat, neque etiam Cajo resignatarius aliud beneficium habeat, in quo dicta pensio constitui possit: nihil enim vetare, quòd minus id fiat auctoritate Papae, & hac ratione evitetur omnis species simonia. Idem tenet Paris. *l. 6. q. 2. n. 20. & 23.* dicens, solere id fieri etiam in resignatione parochialis, dum ejus valor non excedit centum ducatos; quamvis expressè subjungat *cit. n. 23.* in fine hæc verba: pensio autem super beneficio tertii non de facili conceditur ob fraudes, quae fieri possent. Ait etiam Azor, minimè hæc ratione imponi pensionem Cajo dissentiente. Unde infertur, multò magis requirendum illius tertii, nimirum Sempronii consensum, utpote qui gravatur non gravato Cajo. Porro talem impositam pensionem super beneficio tertii validam fore, etiam si excedat medieta-tem fructuum, ait Paris. *loc. cit. n. 64.* in fine.

Quaestio 477. An pensio reservata super pluribus beneficiis intelligatur reservata in solidum?

Respondeo: Non esse intelligendam reservatam in solidum, sed pro rata. Lott. *l. 1. q. 38. n. 20.* citans Abb. *in c. constitutus. de religiof. domib. n. 8.* cujus doctrinam secutam ait esse Rotam, ita ut jam, si Papa reservavit pensionem super pluribus beneficiis, quibus unum eundemque providit, & dein eo proviso seu titulari mortuo singula illa beneficia gravata singulis personis conferat, pensionarius agere non possit contra unam illarum pro solida pensione, uti id posset, & foret in ejus electione retinere solidam pensionem super uno corpore illorum beneficiorum, modò id esset illius capax, si reservatio pensionis facta in solidum. Lott. *loc. cit. n. 19.* juncto *n. 21.* Eandem doctrinam tradit Lott. *l. 1. q. 39. n. 84.* ubi ait, reservatam pensionem super pluribus beneficiis vel principaliter unitis, vel ex dispensatione uni tantum collatis, si vel sequatur unionis dissolutio, vel pluribus ea contingat conferri, fiet divisio oneris, nempe pensionis pro modo fructuum singulorum. citat pro hoc Mantica *decis. 224. n. 2. & 3.* & Rotam *decis. 181. n. 3. p. 1. recent.* Idem jam ante Lott. docuerat Paris. *l. 6. q. 2. n. 64.* ex Gamb. *de pot. Leg. l. 6. tit. de pens. n. 667.* & n. 664. ubi is: quòd si duo illa beneficia gravata pensione erant æqualis valoris, æqualiter onus dividi debere, si inæqualis valoris, divisio facienda pro rata fructuum.

Quaestio 478. An, & qualiter pensio reservetur, & residere dicatur in fructibus?

Respondeo tamen causa materialis pensionis est certa pecuniarum quantitas, pensio tamen imponitur & imposita dicitur super fructibus & emolumentis, quatenus hi fructus sint in simplice obligatione, non autem in solutione. Lott. *l. 1. q. 35. n. 52.* usus siquidem Sedis Apostolicæ non est, reservare pensiones de fructibus, sed de certa pecuniarum quantitate. Lott. *ibid. n. 53.* Et licet ex magna causa & intuitu personæ alicujus extimæ concedatur quandoque gratia reservationis fructuum, vel quotæ illorum, ea tamen non dicitur pensio, sed reservatio fructuum aut quotæ nuncupatio

parim loco pensionis, quod innuit, illam esse quid penitus distinctum ab ista. Lott. num. 55. Ex quo is, cui reservat: fructus aut illa quota fructuum propria auctoritate, & ex se percipit fructus ad instar usufructuarii, nisi forte quota illa taxata esset ad certam quantitatem pecuniarum, in quo casu illam non reciperet, nisi de manu gravati, sicut pensionarius pensionem. Lott. loc. cit. n. 56. juncto. nu. 58. Unde etiam reservatarius illum fructuum non tenet iustificare valorem narratum; cum gratia non sit de quota valoris, sed de quota fructuum, quam omnino percipit, sive fructus sint in magna sive in minima quantitate, ait Lott. n. 57. In eo ita que sensu substantia pensionis residere dicitur in fructibus, qui sunt ejus subiectum, ut inquit Card. de Luca. de pens. d. 1. nu. 18. nimirum quod pensio sit onus fructuum, & ipsis fructibus inhærens, & debita ab eo, qui fructus percipit, ita ut, licet cohæreat beneficio, tamen magis inhæreat fructibus, illis que tantum sequitur. Barbof. juris eccl. l. 3. c. 11. n. 93. Cujus ratio non est alia, nisi quia de intentione Papæ, dum pensionem reservat, est, gravare illum fructus, super quibus imponitur pensio, & non beneficium, ut est beneficium, qui propterea dicuntur pro ipsa pensione affecti & hypothecati. Barbof. loc. cit. Quamvis autem hoc nomen fructus in propriissima sua significatione aliud nihil significet, quam id, quod ex fundo funditur & renascitur; in latiore tamen significatione omne emolumentum & commodum complectitur. Lott. cit. q. 35. nu. 61. & 62. Quin & hæc omnia generaliore adhuc voce, quam est vox fructus exprimuntur, nempe voce redditus annui. Lott. l. 1. q. 39. n. 22. In summa itaque duo sunt veluti subiecta pensionis, quorum unum est in obligatione, nimirum fructus seu redditus annui, alterum in solutione, idque nihil aliud est, quam pecunia. Lott. cit. q. 39. n. 1.

2. Porro sicut pecunia hic non accipitur in latissima illa significatione, ita ut ejus appellatione veniat omne, quod, ut ait Aristoteles Eth. 4. c. 1. nummo mensuratur, ita nec e converso accipitur ita strictè, ut ejus appellatione veniat duntaxat æcsum, ut vulgò accipitur, sed servata analogia id solum comprehendimus, quod constat numero, pondere, mensura. Lott. cit. q. 39. n. 2. unde nil vetat, quin pensio referretur (intellige solvenda, seu quò ad solutionem) in quantitate certa tritici, vini, olei &c. Lott. ibid. n. 7. Appellatione verò fructuum, in quibus quò ad obligationem statuitur pensio, non veniunt distributiones quotidianæ, etiam si persolvantur, & sint ex fructibus. Lott. cit. q. 39. n. 23. juxta e. licet. de prob. & Gemin. conf. 85. n. 23. quos citat. unde condemnatus in fructibus, non censetur condemnatus in distributionibus. Lott. ibid. n. 26. sed de hoc postremo mox plura.

Questio 479. An, & qualiter alternativè in quantitate rei. v. g. in quantitate certa tritici, vini, olei &c. vel in quantitate pecunia, accipiendo nomen illud in stricta illa significatione pro ære cuso, seu pro moneta reservetur pensio.

Respondeo, id quandoque fieri, ita ut tunc electio sit penes pensionarium, ut præstetur seu solvatur pensio vel in certa illa quantitate rerum hujusmodi, vel in certa quantitate pecuniæ, ita ut si mallet sibi solvi in pecunia, hæc succedat loco fru-

menti, pensionario sic volente & eligente. Corrad. in pr. benef. l. 5. c. 2. n. 12. (quamvis addat, talem reservationem alternativam pensionis raro servari in Dataria) Lott. l. 1. q. 39. n. 7. qui etiam ait, id ita accipiendum de hac electione, ut si verba sint clara, eorundem sensum sequamur: si sint dubia, dum gratia facta favore pensionarii, pari modo id interpretemur, nempe, ut electio sit penes pensionarium; quemadmodum in alternativa polita ad favorem creditoris, ipsius electio est penes hunc, & non penes debitorem, juxta Cassan. ad consuetud. Burgundia. 9. l. 9. §. 21. n. 1. Procedere id ipsum nimirum electionem fore penes pensionarium, etiam si tempore reservationis inter alternata fuisset inæqualitas, etiam dum verba sunt dubia, & stante dubietate aliàs faciendâ interpretatio pro eo, quod minus est, eò quòd in præfati casu seu materia reservatio illa alternativa sit de consensu titularis, id ipsum, inquam, censet Lott. loc. cit. d. n. 12. Censet tamen n. 18. pensionarium factâ semel electione non posse variare; eò quòd electionem non habeat simpliciter vi solius disjunctivæ orationis, quo casu semper mutari posset voluntas, sed eam habeat qualificatam ex concessio sibi arbitrio, quod illico per electionem consumitur.

Questio 480. An, & qualiter imponatur pensio super fructibus seu redditibus incertis?

1. **R**espondeo primò, non super incertis, sed tantum super certis ex stylo curiæ imponitur pensio. Lott. cit. q. 39. nu. 36. citans Gig. conf. 35. n. 7. Garc. p. 1. c. 5. n. 379. Idque etiam diceretur: super redditibus, proventus, juribus, obventionibus & emolumentis universis. Garc. ibid. n. 380. citans Rodriq. qq. regul. to. 3. q. 74. n. 4. quamvis n. 381. dicat, fuisse resolutum in Rota in Augustan. Prepositura 13. Jan. 1559. verba illa: juribus & obventionibus universis: polita in supplicatione comprehendere omnes redditus, cujuscunque sint qualitatis. Et sic in specie, sub verbis: fructus, redditus, proventus, jura, emolumenta canonicatum (intellige in hac materia pensionis imponendæ) non comprehenduntur anniversaria & manualia missarum & elemosynarum. Nav. conf. 13. n. 1. de cleric. non resid. apud Garc. n. 385.

2. Respondeo secundò à dicto stylo Curia tunc receditur, cum etiam super incertis expressè imponitur pensio, uti id quandoque fit. Lott. loc. cit. n. 37. qui etiam addit, in eo casu illud incertum cadere sub æstimatione, & inter incertos illos redditus reputari etiam omnes qui potuerunt percipi, & ob socordiam aut negligentiam titularis percepti non fuerunt.

Questio 481. An, & qualiter reservari possit & soleat pensio in distributionibus quotidianis?

1. **R**espondeo primò: non minus distributiones quotidianæ, quam fructus & alii quicunque proventus & redditus sunt receptibiles seu capaces obligationis pro pensione. Lott. l. 1. q. 39. n. 32. cujus ibidem hanc dat rationem, quia Papa intelligitur eas afficere aut equam inter præfentes distribuuntur. Idque etiam in præjudicium juris accrescendi inter præfentes, sive ita, ut hæc iuri accrescendi pro modo pensionis locus non sit, repugnante nimirum Papæ voluntate. Unde etiam, quando Papa reservat pensionem nuncupatim etiam